egregiæ amaritudinis, humi sparsa, nec tamen serpens. Ob hæc igitur perpetua contentio de nominibus plantarum. Atq; ob id quoniam non nisi post multa secula definire non licebat, ab ea abstinuimus. Tum uerò & mutata erunt nomina, ut uix unquam hæc disputatio finem habitura sit. Quomodo tamen distinguendæ sint, aliâs diximus.

PLANTAE AQVAM SVBESSE DEMONSTRANTES. CAPVT XXI.

HERBARVM, arborumq; uaria natura, sed maximè diuersa illarum est quæ in aquis nascuntur, aut in loco aquis proximo, & quæ in macerijs ac muris, rupibusq;, atq; inter saxa: nam è saxis plantæ prodeuntes miraculi speciem referunt. Quæ igitur iuxta aquas semper nasci solent, ubi non prope nascãtur, aquam non procul subesse significant: cuiusmodi sunt spondyliũ, siliqua Inda, seu cassia nostra, muscus, salgazus, algarum multiplicia genera, plantago, ranunculus, uerbena, tussilago, hydropiper, cyperus, iuncus, nymphea, potamogeton (unde nomen illi) tribuli, scordeon, lichen, phyllitis, capillus Veneris, salix quoq; & oriza, & quam rutham uocant capraria, itẽ populus: sion uerò ac sisymbriũ, in aquis currentib. inueniuntur. Tum etiã alia multa genera, quæcunq; etiã magnos ædunt fructus & molles, aquas subesse significant: uelut pepones, melopepones, cucurbitæ, cucumeresq;, foliorum quoq; magnitudo & rotunditas, plantam aquis gaudere declarat. Vnum etiam quasi certum est argumentum, si pediculus oblongus sit, ac tenuis, in herbis.

Plãtæ aquã subesse significãtes.

At

At contrà, in macerijs arbusta etiam plura, plantæ magnæ uix ullæ, non suppeditante humore, uelut terebinthus, caprificus, genesta, capparis, rubus, absinthium, polytricum, saxifragia, parietaria (unde illi nomen) semperuiuum seu aizoon, umbilicus Veneris, asplenion, symphytũ, petreium. Aridioribus autem locis, salsæ aut amaræ: amaræ plures sunt, uelut absinthium, spartum, rubus, atq; lupini, tum rosmarinus & erica: est autem ericæ flos qualis moris cùm maturescunt, puniceo uinosior, ideoq; inter duos colores medius: herba est copiosior, quàm uellemus, nam ager omnis sterilis hac herba abundat, crescit in fruticis persæpè morem. Salsa est filix, unde ex ea uitrum conficere solent: ut aliàs dixi. Omnes igitur tam amaræ, quàm salsæ, aridæ sunt, tenuesq;, praui quoque alimenti ac pauci.

Plantæ ariditatis indices.

Erica.

Ergo inter cæteras herbas, quæ in aquis nascuntur, genus unum est, quod in lacu Morauiæ (ea est regio Scotiæ) abundat, quæ nunquam putrescit, etiam si super campos sternatur, olorumq; herba solet appellari, quòd olores libenter illius semine uescantur. Itaq; cùm in fonte aliquo aut lacu oriri cœperit, in paludem eum traducit, quod nunquam pereat: id uerò contingit, quòd humidi parum habeat, & benè pinguis. Est & alia, quæ non nisi in scopulo Maiæ insulæ, de quo superiùs diximus, oritur, quæ suauis est gustui: sed (ut dictum est) transferri non potest aliò: id contingit ob naturæ imbecillitatem, & proprietatem eius: qua fit, ut alij solo atq; aëri non conueniat.

Herba quæ non putrescit.

Nec solùm quò ad aquam considerandæ sunt plantæ, sed quò ad aërem & terram. Buxus aërem corrumpit, malè enim olet. Et si apes ex eius flore degustarint, ut fieri solet, cùm tempestiuè & ante alias arbores floreat, statim

Buxi proprietates.

Apes flore buxi pereunt.

moriuntur: ob id procul aluearijs feratur. Multa alia incommoda affert hæc planta, quæ solo ligno utilis est, & gratiosa: lignum certè solidum, & (ut aliàs dixi) nobilitate nulli cedit. Gallia montes habet, & colles hoc plantæ genere plenos: frigidis enim & aridis, perflatisq; locis fœliciter prouenit. Simili ratione similes prouenium plantæ generatione, uelut tritici ferax solũ est, quod ebulũ, trifolium, rubum, quercũ pirum, & prunũ syluestrem, tum herbã pratensem, & bulbũ minutũ, idemq; nigrũ est, aut cinerei coloris.

Frumẽti ferax solum.

Plantis quę aquæ utiliores.

Aquæ pluuiales, plantis utiliores sunt longè, quàm irriguæ, quoniam calidiores. unde etiam irriguas fontium meliores sunt, quàm puteorum. Adeò enim fœcundæ sunt aquæ pluuiales, ut quocunq; loco ceciderint, plenæ anima uideantur: in mari enim & lacubus, piscium generationẽ augent, eosq; pingue faciunt: in stagnis & foueis, nouos pisces procreant: in terra, iam natas plantas alunt, & nouas progignunt. Itaq; & si irriguæ in Sole manserint, aut per loca pinguia defluxerint, fœcundiores sunt: quales quæ è montibus decidunt: ob id etiã in sterilibus regionibus iuxta montium radices, prata amœna uisuntur. Pluuialis uerò aqua, præter id quod pinguior est, & minùs frigida, quàm irriguacũ sensim instilletur, melius cõbibitur, nec effluit, nec radices plantarum nudat: quod malum, plurimùm illis obest.

PLANTARVM MIRACVLA. CAPVT XXII.

Carbunculi sub plantis.

INTER plantarum mira, illud referri debet, quòd herbæ beati Ioannis, sub eiusdẽ festo die, carbũculus solet inueniri. Adeò uerò hoc frequens, ut meminerim quandoq; tredecim, una eius sanẽti uigilia inuenisse.